

excluditur, quo minus & ipse istis invigilare possit ac debeat. Denique Generalis Præmonstratensis, sicut reliqui omnes religiosorum Ordinum Generales, potestatem quasi-episcopalem obtinet in Religiosos suos, eosdemque potest excommunicare. Dumque excommunicat quemquam horum parochorum, qui v. g. negotiorum causa Parisios veniens recusat divertere ad domicilium Ordinis sui, non excommunicat Religiosum residentem in sua parochia, & in diocesi sua, sed ex loco Beneficii sui egressum, atque extra Ordinis sui domicilia in loco statui suo non competente commorantem; adeoque talis excommunicatio nihil præjudicat potestati episcopali, nec functiones parochiales turbat. Potest quis juxta dispositionem juris communis esse subjectus Episcopo, simulque stare sub obedientia Superioris regularis. Omnes ferme Bullæ Pontificiæ sæculi XII. approbant, imo confirmant dependentiam parochorum regularem Ordinem professorum a suo Superiore regulari circa ea, quæ ipsi ut Superiori competunt, & in quibus jus ipsi suffragatur, ut est dispensatio reddituum parochiæ regularis, & observantia constitutionum religiosi status, in quantum ex sunt compatibles cum functionibus pastoralibus: & hoc non obstante salva manet obligatio, qua parochi Religiosi Episcopo suo tenentur rationem reddere de spiritualibus, & cura animarum parochiæ suæ. *Fromageau.*

## PRÆSCRIPTIO.

1. *Præscriptio* est modus aquirendi & amittendi jus proprietatis in aliqua re per lapsum temporis; vel melius: est aquisitio proprietatis alicujus rei bona fide ac sine interruptione per tempus a lege definitum possessæ. Præscriptio sic explicata introducta fuit in favorem boni publici, & pro conservanda tranquillitate ac pace in familiis. *Bono publico ususcapio introducta est, inquit Lex Bono publico. l. ff. Lib. 41. Tit. 3. ne scilicet quarundam rerum diu & fere semper incerta dominia essent; cum sufficeret dominis ad inquirendas res suas statuti temporis spatium.*

2. *Usucapio* & præscriptio in hoc quidem conveniunt, quod utraque vox significet modum aquirendi proprietatem rerum per lapsum temporis; præscriptio tamen insuper indiget modum aquirendi aut amittendi omnis generis jura & actiones post lapsum temporis a jure determinati. Hinc duplex distinguitur præscriptio: una est, qua possessori aquiratur jus proprietatis rei possessæ, & proprietario adimitur; quod

quod nec eandem possederit, nec ab alio possessionem revocaverit. Altera est, qua aquiruntur vel amittuntur quæcumque jura, quæ in commercio humano sunt, sive interveniat aliqua possessio, ut in usu servitutum, sive nulla interveniat possessio, ut in amissione debiti nunquam a creditore exacti. Utraque hæc præscriptio fundatur in præsumptione, quod possessor non absque justo titulo vel legitima causa rem possederit, quodque proprietarius quocumque demum modo, vel quacumque ex causa rem possidere noluerit, ac jus proprietatis dimiserit.

3. Nunquam præscribi possunt res aut jura, quorum proprietas aquiri non potest, excepto casu, quo v. g. jus spirituale foret annexum rei corporali, ut jus Patronatus prædio aut domui: præscribens enim domum vel prædium censetur præscribere etiam jus Patronatus, juxta communem regulam: *Accessorium naturam sequi congruit principalis.*

4. Ad aquirendum jus præscriptionis necessarium non est, ut possessio fuerit continuata ab una sola & eadem persona durante toto tempore a legibus determinato. Sic tempus illud, quo v. g. rem possedit defunctus, jungitur temporibus, per quod possessionem continuavit hæres ipsius, licet aliquod temporis intervallum intercesserit; eoque v. g. non statim ut hæredem se declaraverit, vel de vacante successione nullam aliquamdiu notitiam habuerit, vel denique hæreditas litigiosa fuerit.

5. Possessio semper censetur fuisse continuata non obstantibus intervallis, quibus actu a possessore non fuit exercita possessio. Hinc, si possideo agrum, quem primo anno excolo, licet per subsequens decennium absque omni cultura maneat, non desino continuare possessionem; dummodo eum in potestate mea detineam cum intentione continuandi possessionem: licet enim per solam intentionem possidendi non aquiratur possessio, ea tamen semel acquisita conservatur per solam intentionem juxta L. *Licet. 4. Cod. Lib. 7. Tit. 32. Licet possessio nudo animo aquiri non possit, tamen solo animo retineri potest.*

6. Ad legitimam præscriptionem semper in possessore requiritur bona fides; sique bonæ fidei superveniat etiam complementum totius temporis ad præscribendum requisiti, proprietarius non admittitur amplius ad probandam malam fidem possessoris. Nihilominus tamen hæres illius, qui bona fide acquisivisset rem non pertinentem ad illum, a quo ad se translata est, excipitur ab hac regula.

7. Potest quis præscribere per alium, veluti per tutorem, curatorem, locatarium &c. Nullus possessor, qui rem non possidet nomine proprio, potest unquam præscribere, ut sunt locatarii, depositarii, tutores &c. Diuturna absentia negotiorum publicorum causa, vel ob captivitatem impedit præscriptionem.

8. Tempus præscriptionis cessat currere, ex quo prima petitio contra possessorem apud iudicem facta est. Possessor ex possessione dejectus per solam viam facti, absque iudicis autoritate, semper pro possessore habetur; quia habet jus redeundi in possessionem, eamque continuandi.

CASUS I. Agatho bona fide possedit fundum tanto tempore, quantum a legibus ad præscribendum requiritur. Potestne in conscientia uti jure præscriptionis ad se se eximendum a restitutione faciendâ illi, qui fundi proprietarium se esse probat? Idemne etiam dicendum de malæ fidei possessore?

ꝛ Certum est, possessorem bonæ fidei posse uti jure præscriptionis in utroque foro post possessionem tempore a legibus teterminato continuatam. Sic docet D. Thomas Quodl. II. art. 24. C. ubi ait: *Si quis præscribat bona fide possidendo, non tenetur ad restitutionem, etiamsi sciat, alienum fuisse post præscriptionem; quia lex potest pro peccato & negligentia punire in re sua, & illam alteri dare, & concedere.* Aliud dicendum de possessore malæ fidei: dicit enim Bonifacius VIII. Reg. jur. 2. in 6. *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit; id autem solum intelligendum est de foro interno: nam quoad forum externum jus civile, ad conservandam pacem familiarum, post tricennem pacificam possessionem non amplius curat, utrum fides possessorum fuerit bona vel mala. Quod autem Ecclesia quoad hoc punctum non recipiat dispositionem juris civilis: ratio est; quia, ut D. Thomas observat, Principes in suis legibus solum respiciunt ad tranquillitatem temporalem Statuum suorum, cum Ecclesia principaliter intendat quietem conscientiarum & salutem fidelium; leges civiles præprimis intendunt terminare litigia ac processus iudiciales, cum ecclesiasticæ tendant ad impedienda peccata.* Pontas.

CASUS II. Arthurus bona fide jam a vicennio & ultra possidet bonam immobilem antehac a se emptum, nesciente Philippo vero fundi proprietario præscriptionem contra se currere, quin etiam ignorante, fundum hunc ad se pertinere, ita ut ex hoc capite nullius possit inculcari negligentia. Potestne Arthurus uti jure præscriptionis ad retinendum dictum fun-

fundum, casu quo Philippus edoctus fundi proprietatem ad se pertinere, ejusdem restitutionem apud Iudicem urgeat?

ꝛ Si Arthurus fuerit fundatus in titulo emptionis, potest illæsa conscientia uti jure præscriptionis, & retinere fundum, quem per vicennium pacifice ac nemine contradicente possederat, licet postea resciat, Philipum ejusdem revera esse proprietarium. Hoc tamen non obstantè dantur auctores, qui tuentur, præscriptionem hanc non esse conformem spiritui legum, quæ videntur conditæ ad puniendam præcipue illorum negligentiam, qui diutius differunt inquirere in jura sua, eaque conservare, casum tamen calamitatis publicæ excipientes; indeque concludunt: inique puniri privatione rei suæ aliquem, nisi postquam negligentia in ea conservanda reus deprehensus fuerit: attamen fundamentum hujus sententiæ nec solidum nec verum est. Legislatores introduxerunt præscriptionem ad præveniendas ac tollendas turbas, quæ nascerentur ex incertitudine dominiorum, & ut impediant, ne proprietates bonorum maneant incertæ. Pontas.

CASUS III. Pelagius bona fide novennio abhinc possidet domum sibi ab Arnaldo legatam, licet ad hunc non pertineret; cum vera domus proprietas inter Joannem, Jacobum, tresque alios divisa esset. Joannes ex charta valde authentica edoctus, juris in hanc domum partem aliquam sibi quoque competere, causa ad iudicem contra Pelagium delata, proprio nomine repetiit, Jacobo & reliquis tribus insciis, qui non nisi quindecim jam elapsis mensibus in liti societatem venerunt. Possessio itaque Pelagii hoc modo a Joanne turbata ac interrupta ante completum decennium a jure ad præscribendam rem immobilem requisitum, estne censenda interrupta etiam in favorem Jacobi & sociorum, qui expleto jam decennio tardiores liti intervenerunt? Habetne jus aliquod Pelagius tutandi se contra hos possessione decennali completa, maxime cum omnes in eadem provincia domicilium habeant?

ꝛ Cum Joannes domus hujus sit verus proprietarius una cum Jacobo & aliis, egeritque apud iudicem pro restitutione domus ante decennium elapsum, Pelagius cessat esse possessor bonæ fidei respectu omnium comproprietariorum, neque possessio ejus ipsi prodest quidpiam. *Possessio ita demum est legitima, ait L. Nemo 10. Cod. Lib. 7. Tit. 32. cum omnium adversariorum silentio & taciturnitate firmatur: interpellatione vero & controversia progressa, non potest is intelligi possessor, qui licet possessionem corpore teneat, tamen ex intervenita contestatio-*

re, & causa in iudicium deducta, super jure possessionis vacillet ac dubitet. Pontas.

CASUS IV. Pipinus tutor Arnulphi reddita minorenni suo, ubi majorennitatem adeptus est, de administrata tutela ratione, immisit ipsum in possessionem omnium bonorum, & inter alia prædii cujusdam rustici 150. agrorum jugera ambitu suo complexi, exceptis tantum duobus jugeris prati ejusdam, quæ viginti aliis ad se proprie pertinentibus jugeris contigua erant. Pipinus serio persuasum sibi habens duo etiam hæc jugera sua esse, totum pratium locat Hypposito, qui singulis annis persoluto fideliter pretio ex conventionione debito, fundi hujus possessionem per 30 annorum nunquam interruptam seriem bona fide continuat. At vero Arnulphus invento postmodum documento authentico, ex quo constabat, duo præfata jugera sui folius dominii esse, de recuperanda prati possessione contra Pipinum agit, qui præscriptionem ipsi objicit fundatam in possessione decem annis ultra tempus a lege statutum continuata. Potestne Pipinus sæpe dictum pratium bona conscientia sibi retinere?

ꝛ. Qualitas seu onus tutelæ non destruit in Pipino fundamentum legitimæ præscriptionis; quod quidem fundamentum est bona fides conjuncta tempori a jure taxato; adeoque absque ullo conscientiæ scrupulo pratium hoc sibi poterit retinere. Pontas.

CASUS V. Jam solidum effluxit vicennium, ex quo Constantinus a Clemente emit tria jugera vineæ, quorum proprietarius tunc erat minorennis quidam, quique tantum annos ætatis habens. Minorennis hic majorennitatem adeptus inventis documentis titulum proprietatis in hac vinea sibi competentis demonstrantibus, de ejusdem restitutione contra Constantinum agit, salvo jure recursus adversus Clementem. Potestne Constantinus eximere se ab onere restitutionis per exceptionem præscriptionis, munitam titulo emptionis & tam diuturnæ possessionis bona fide usque in præsentiarum continuatæ?

ꝛ. Non potest præscribi contra minorenes durante minorennitate ipsorum; immo nec inchoari contra ipsos præscriptio potest, antequam majorennitatem attigerint; & hinc vi legis *Non est*. 3. Cod. Lib. 7. Tit. 35. Constantinus tenetur restituere tria jugera vineæ. Unde sequitur, quod, si aliqua res, sive fundus sive jus v.g. servitus aut aliud pertineret indivisim ad majorem & minorem, illa præscribi non possit; quia minorennis nequit perdere proprietatem per præscriptionem durante minorennitate currentem. *S. communem*,

ait,

ait Lex 20. ff. Lib. 3. Tit. 6. *fundum ego & pupillus habemus, licet uterque non uteretur, tamen propter pupillum & ego viam retineo*. Dicitur, *indivisim*: nam si fundus communis inter majorem & minorem divideretur, servitus posset præscribi contra majorem, non autem contra minorem; quia in casu divisionis causa eorum non amplius communis est. Pontas.

CASUS VI. Salvius bona fide per integrum novennium fuit possessor domus ad se titulo legati transmissæ a Joanne, licet hic ejusdem non esset vernus proprietarius. Post tempus Salvius illam reliquit Bernardo hæredi suo, in cujus possessionem hic transit decem mensibus a morte Salvii. Sed post trimestre inchoatæ possessionis lis ipsi fuit mota a Jacobo luculentis argumentis comprobante sibi, nec cuiquam alteri, præfate domus competere dominium. Tenueritne Bernardus ad restitutionem domus? An vero potest opponere præscriptionem, non obstante intervallo decem mensium, quod a morte testatoris usque ad aditam possessionem intercesserat?

ꝛ. Bona successionis a defuncto relicte censentur possessa ab ipsa hæreditate; hinc temporis intervallum actuali possessore destitutum non interrumpit cursum præscriptionis. Adeoque Bernardus non tenetur reddere domum, de qua quaeritur. *Vacuum tempus*, Leg. *Nunquam*. 31. §. 5. ff. Lib. 41. Tit. 3. *quod ante aditam hæreditatem, vel post aditam intercessit, ad usucapionem hæredi procedit*. Pontas.

CASUS VII. Joffelinus bona fide per novennium possedit jugerum sylvæ cædæ a Bertrando emptæ, quam morti proximo Oliverio hæredi suo ex testamento reliquit. Post biennii possessionem ex parte Oliverii vicinus quidam per titulos authenticos apud judicem exhibitos jugeri hujus proprietatem evicit, sylvamque sibi reddi postulavit, maxime cum Oliverius ob possessionem duntaxat biennalem non possit opponere jus præscriptionis contra titulum a se productum ac probatum.

ꝛ. Vicinus iste nullum habet jus inquietandi Oliverium in sua possessione. Quando possessor bonæ fidei moritur ante completam præscriptionem alicujus fundi, continuante interim ipsius hærede bona fide possessionem ad se translata, tempora utriusque possessionis debent conjungi, sique taliter conjuncta adæquent tempus ad legitimam præscriptionem a jure requisitum, juxta Leg. *De accessionibus*. 14. §. 1. ff. Lib. 44. Tit. 3. præscriptio hæredi erit acquisita. Id tamen intelligendum est de casu, quo utraque possessio est bonæ fidei, ut

in præsentî casu, & insuper continua sine interruptione; ita ut v. g. prima possessio non fuerit interrupta per possessionem tertii, aut per petitionem cum fundamento coram iudice factam. *Pontas.*

**CASUS VIII.** Pantaleon Abbas Vitali vendidit sylvam cæduam ad suam Abbatiam pertinentem, absque tamen consensu suorum Capitularium, aliisque consuetis solemnitatibus; pretium 2000. florenorum ab emptore sibi persolutum (magna quippe tunc temporis populam affligebat annonæ inopia) in pauperes erogavit. Possessione vero sylvæ aliquamdiu post a Vitale in Robertum jure pariter emptionis translato, successit Pantaleonis unacum suis Capitularibus in sylvæ hujus possessionem restitui judicialiter petiti, ut jam per continuos quadraginta annos a Roberto possessæ. Fundamentum monasterii erat, quod contractus venditionis a Pantaleone celebratus vitiosus fuerit. Eximitne in casu hoc Robertum a restitutione sylvæ bonæ fidei possessio?

*ꝑ.* Certum omnino est, quod non obstante vitioso titulo primi aquisitoris, tertius qui bonum immobile ecclesiæ bona fide per 40. annos ut possessor tenuit, tuto ac bona conscientia possit uti jure præscriptionis contra Beneficiatum in possessionem redire cupientem. Si ita non esset, vix possibilis foret casus, quo præscriptio contra ecclesiam, licet per quadraginta annos bona fide continuata haberet locum. *Pontas.*

**CASUS IX.** Samuel in provincia Turonum degens bona fide sexennio abhinc integro decem agri fertilibus jugera tenet a quodam amico sibi legata. Cyrillus in eadem provincia domiciliatus præterit agri hujus proprietatem sibi deberi vi tituli nuper a se inventi. In judicium ergo vocat Samuelem, sed postquam aliquoties inter ipsos ultro citroque fuit disputatum, sponte liti renunciat, Samuele exhinc possessionem per quatuor annos continuante. Quæstio jam est, an decem hi anni sufficiant ad jus legitimæ præscriptionis.

*ꝑ.* 1. Si Samuel nunquam cessaverit esse possessor bonæ fidei tam durante instantia apud Judicem quam postea, præscriptionis tempus semper currit in ipsius favorem, non obstante Cyrilli judiciali interpellatione. 2. Si durante instantia, utut lapsu trium annorum perempta, factus est malæ fidei possessor, sive pendente adhuc causa, sive ea deserta a Cyrillo, non poterit describere in foro interno. 3. Si Samuel rationabiliter dubitare incepit de bona fide sua, sive in ipsa judiciali instantia, sive post instantiam, licet lapsu trium annorum negligentia jam peremptam, id non impedit, quo minus prodesse ipsi queat præscriptio pro foro interno: præscri-

ptio

ptio quippe non cessat currere, licet tantum sit possessor non bonæ fidei. *Pontas.*

**CASUS X.** Calvimundus furto abstulit Luciano adamantem mille aureorum pretio æstimatum, & aliquanto post repente e vivis sublatus est. Stephanus filius ipsius & hæres unicus gemmam hanc inter alia hæreditatis mobilia inventam patris sui fuisse credidit, eamque per annos triginta & amplius bona fide penes se asservavit. Lucianus viso & mox agnito adamante pro illius restitutione agit, invictis argumentis demonstraturum se asserens, quod suus esset. Stephanus rei veritate perspecta & probata, teneturne ad restitutionem, non obstante longa sua possessione?

*ꝑ.* Possessio tricennalis bonæ fidei hujus adamantis non eximit ab onere ipsam restituendi. Hæres universalis censetur una sola & eadem persona cum defuncto, in cujus bona succedit. *Leg. Hæres. 22. ff. Lib. 41. Tir. 3.* Jam vero, cum Calvimundus fuerit possessor malæ fidei, ipsa hæc mala fides imputatur Stephano unico illius hæredi. *Leg. Vitia. 11. Cod. Lib. 7. Tit. 32.* Aliud dicendum foret, si Stephanus esset tantum donatarius vel legatarius particularis: in hoc enim casu juxta *Leg. An vitium. 5. ff. Lib. 44. Tit. 3.* possit uti præscriptione triginta annorum. *Pontas.*

**CASUS XI.** Hyppolitus bona fide emit ab Ursino rem, quam hic injusta usurpatione tenebat a suo vicino, eamque postmodum vendidit Theodosio, qui ejusdem mansit possessor bonæ fidei durante toto tempore ad præscriptionem requisito. Estne ergo legitimus proprietarius jure præscriptionis?

*ꝑ.* Mala fides, quacum Ursinus rem possedit, non potest impedire jus præscriptionis respectu Theodosii, modo durante toto tempore ad præscribendum necessario nullam habuerit notitiam de mala fide Ursini. Ita definitur *Institut. Lib. 2. Tit. 6. initio*; id quod etiam probatur ex constitutione Imperiali Authent. *Malæ fidei. Cod. Lib. 7. Tit. 33.* ubi dicitur: *Malæ fidei possessore alienante cessat longi temporis præscriptio si verus dominus ignorat suum jus & alienationem factam: spectatur ergo triginta annorum defensio.* *Pontas.*

**CASUS XII.** Gustavus parochiæ Toparcha ultra quinquaginta jam annos possidet tractum prati vel agri horto suo olitorio contermini. Bertrandus parochus invictis argumentis probat; tractum illum olim fuisse partem cœmeterii, & idcirco pro ejus restitutione instat. Renuit Gustavus opponendo possessionem bonæ fidei, & præscriptionem plus quam sufficientem contra bona Ecclesiæ. Habetne fundamentum hæc Toparchæ exceptio?

*ꝑ.* Non

β. Non possunt legitime præscribi, nisi quæ sunt de commercio humano, & quæ possunt cedere in dominium privatorum. Atqui res illæ, quas jus vocat *Sacras*, uti Ecclesiæ, Capellæ, eæque, quas *Religiosas* nuncupat, uti cœmeteria, quæque stilo Juris Romani vocantur *Sacræ*, veluti viæ publicæ, mœnia, & portæ civitatum &c. non sunt de commercio humano nec pertinent ad personas privatas: adeoque cum tractus ille terræ, de quo quæritur, sit de numero rerum *Religiosarum*, Gustavus non potest se tueri præscriptione, teneturque ad restitutionem. Idem foret dicendum de pensione constituta pro adimplenda pia fundatione. Jus autem patronatus annexum alicui fundo sequitur fortem fundi quoad præscriptionem; cum sit accessorium fundi. Leg. *Quadam.* 62. ff. Lib. 41. Tit. 1. *Pontas.*

CASUS XIII. Felicianus vir ditissimus tenetur Gualterio loci domino singulis annis in recognitionem dominiî persolvere tres florenos cum dimidio. Gualterius sciens, Felicianum abundare pecuniis, volensque, ut singulæ hæ præstationes annuæ in summam excreverent majorem, per triginta octo annos nec obolum ab eo petiit. Jam demum solutionem petenti respondit Felicianus, equidem verum esse, quod toto hoc tempore præstationem suam non persolverit, se tamen modo non teneri nisi ad præstationes viginti novem annorum, reliquis per legitimam præscriptionem extinctis. Teneturne in conscientia etiam solvere præstationes reliquorum novem annorum?

β. Census aut pensio, vel quæcumque alia res jure debita nunquam subjacet præscriptioni, etiam quadraginta annorum, nisi debitor sit in bona fide: & leges Romanæ non permittentes, ut post tam longum temporis spatium possessores etiam malæ fidei turbentur, non possunt adoptari pro regula conscientia, utpote ex rationibus mere politicis ac civilibus conditæ; id quod evidentissime declaratum est a Concilio Lateranensi IV. Can. 41. sub Innocentio III. Secus se res habet in pensionibus, ex quibus anteriores antiquioresque præstationes non aliter debentur quam ex lege Principis, cui contrahentes mutuo sese consensu subjecerunt, quique ob bonum publicum easdem fixit ad certum annorum numerum, ut præcaverentur ruinæ debitorum, qui vel ex solvendi impotentia vel ex negligentia paterentur, ut anteriorum præstationum numerus pene in immensum excreveret. Quare in casu proposito Felicianus non potest tuta conscientia eximere sese remedio præscriptionis, cum præstationes anteriores dominicales debeantur Domino ex ipsa natura rei. Ad-

ver

vertendum hic, quod in non nullis locis consuetudo recepta sit etiam contra famulos, ancillas domesticas, mercatores & operarios præscribendi, ita ut post lapsum certi temporis non amplius possint petere solutionem: quidquid sit de ejusmodi præscriptione legali vel consuetudinaria: certum est, ipsis coram Deo nunquam subtrahi posse solutionem, utpote debitam jure naturali ac divino, contra quod præscribi nunquam potest. *Pontas.*

CASUS XIV. Ennodius jam ab annis quadraginta & ultra possidet silvam, per testamentum sibi a patre relictam, qui & ipse totidem fere annis eandem ut suam tenuerat. At ecce! adsunt commissarii vindicandorum ac recuperandorum bonorum dominialium Principis negotio præpositi, qui restitutionem silvæ dominialium Principis partem constituentis ab Ennodio petunt. Juvabitne Ennodium hoc in casu jus præscriptionis?

β. Quidquid in Gallia de dominio Regis est, est in præscriptibile, nisi possessio integrum sæculum excedat; adeoque Ennodius restitutionem silvæ non potest negare Commissariis regis. Noscuntur tamen etiam in Gallia casus, in quibus bona dominialia Regis alienari possunt & quidem ante tempus centenariæ possessionis, scilicet 1. in necessitate inevitabili gerendi bellum contra inimicos patriæ. 2. pro fundatione ecclesiarum, seminariorum vel hospitalium. 3. pro comparandis congruis redditibus Regis filiis. Verum perpetuo Rex gaudet jure reluendi bona ejusmodi alienata. *Pontas.*

NOTA. Usus hujus principii, quod contra Principem non detur præscriptio, non modo in aulis Imperatorum ac Regum, sed & inferiorum Germaniæ Principum adulatio iniecit aulicorum.

CASUS XV. Potestne Princeps suprema sua auctoritate malæ fidei possessori concedere dominium rei, toto tempore a legibus statuto ab eodem possessæ?

β. Utut suprema sit & illimitata Principis auctoritas, nunquam potest sibi arrogare tantam potestatem. Auctoritas Principis ex doctrina D. Thomæ *Quodlibet.* 12. art. 24. ad 1. non aliter se extendit ad bona suorum subditorum, quam ut veris dominis suis eadem conservet, non vero auferat vel ea sibi retinendo, vel ad alios, neutiquam dominos, transfereudo. *Pontas.*

CASUS XVI. Medardus per decennium possedit dimidium agri jagerum a Joanne emptio titulo acquisitum, cujus tamen genuinus possessor erat Reinaldus ejus vicinus, quod ubi innotuit Reinaldo, Medardum conveniri de agro reddendo

do

do iussit; at vero provocatio hæc nonnisi ad vesperam ultimæ diei decennium completis facta est, ita ut quinque tantum vel sex horæ completo decennio desissent. Excipit ergo tenetque Medardus, tempus a lege statutum pro usu præscriptionis, expletum esse, si paucas horas excipias, quas omnino non attendendas esse præterdit. Habetne sufficiens fundamentum assertionis suæ?

ꝑ. Medardus non potest in conscientia recusare restitutionem dimidii jugeri: licet enim effectus præscriptionis sit favorabilis præscribenti, favor tamen hic non eo usque se extendit, ut tempus lege taxatum abbreviari possit ad spoliandum proprietarium. Regula illa: *illud quod modicum est, ratio apprehendit quasi nihil*, locum non habet in iis rebus, quæ sunt determinatæ & taxatæ per leges: sic enim v. g. Clericus non potest absque crimine, & poenarum Canonicarum incurrendarum periculo suscipere Ordines sacros, antequam dies ultimus ætatis ab Ecclesia præscriptæ ex integro exspiraverit. *Pontas.*

CASUS XVII. Episcopus Almeriensis invenit antiquum documentum, ex quo apparet, prædecessores suos habuisse jus conferendi Decanatum ecclesiæ cathedralis per electionem capituli, conferendique Decano *curam ecclesiæ & animarum*, in cuius tamen juris possessione Metropolitanus hucusque a centum & amplius annis erat. Collatio ergo *cum cura animarum*, quam Metropolitanus hic nuper primum Lucio concessit, estne canonica jure præscriptionis?

ꝑ. Quando præscriptio habet omnes condiciones necessarias ad hoc ut legitima sit, collatio Metropolitanæ canonica est: una quippe ecclesia potest legitime præscribere contra aliam ecclesiam. *Ecclesia*, inquit Alexander III. Can. *Illud*. 8. Lib. 2. Tit. 26. *se potest adversus ecclesiam quadragenaria temporis præscriptione tueri de re illa, quam inconcussa quadraginta annis noscitur possedisse.* Et hinc Lucius, cum sit idoneus, & ex præscripto canonum provifus fuerit, poterit tuto ac tranquilla conscientia frui suo Beneficio. *Pontas.*

CASUS XVIII. Crispinus debet censum plurium annorum ex domo sibi locata. Possuntne hæredes ipsius declinare solutionem ope præscriptionis?

ꝑ. Si vel contra unicum dictorum hæredum judicialis interpellatio fuit in tempore instituta, non poterunt præscribere solutionem. *Fromageau.*

CASUS XIX. Cajus Marchio injuste usurpavit quatuordecim jugera agri ad viduam quamdam pertinentis, eaque communi cum reliquis fundis suis septo ambienda curavit. Tenetne

neturne hæres ipsius ea una cum fructibus hucusque perceptis restituere?

ꝑ. Tenetur omnino: neque enim præscriptio poterit illum eximere ab hac obligatione; cum ea nihil proit hæredi, qui succedens in bona defuncti tenetur ad omnia onera & obligationes defuncti, tanquam eadem cum eo persona, ad quam etiam mala fides authoris transit. *Fromageau.*

Vide *Restitutio* cas. 5. 7. 8. 9. 10. 12. & 13.

## PRECARIUM.

1. *Precarium* definitur, quod sit *commodatum revocabile ad nutum concedentis*. *Precarium* finitur 1. dum precario concedens rem concessam repetit: si tamen res precario data repeteretur tempore adeo importuno, ut notabile damnum inferretur ei, cui data est, æquitas postulare, ut pro ratione circumstantiarum dilatio restitutionis indulgeretur, juxta regulam juris: *In omnibus quidem, maxime in jure æquitas spectanda*. Finitur 2. per mortem concedentis, quandocumque demum contingat.

2. *Precarium* sumitur etiam in latiori significatione, ut cum quis dicitur precario possidere, id est, sub alio quam proprietatis titulo, vel possidere fundum cum onere restitutionis. Sic vidua non nisi precario gaudet usufructu bonorum, suo tempore ad hæredes defuncti mariti redeuntium; & Beneficiatus censetur possidere suum Beneficium ejusque gaudere fructibus tantum precario; quia non ad eum, sed ad ecclesiam spectat Beneficii proprietatis.

CASUS. Liminius rogavit Tullium, ut sibi commodet vasa argentea & quædam peristromata, pacta conditione, ut illa ad nutum sit restitutus, his autem ad trimestre uti possit. Annuit Tullius, & post dies quindecim moritur. Tenetne Liminius in conscientia precario data absque cunctatione hæredibus defuncti reddere. An vero licet ea retinere, iisdemque uti ad finem usque pacti trimestris?

ꝑ. Distinguendum est inter duo hæc precaria: illud vasorum argenteorum est precarium proprie tale, seu quod precibus petenti utendum conceditur, quamdiu is, qui concessit, patitur, ut habetur Leg. *Precarium*. 1. ff. Lib. 43. Tit. 26. quodque, quamprimum concedenti repetere placuerit, restituendum est. Alterum peristromatum potius est *Commodatum* quam precarium, seu conventio, per quam unus alteri concedit rem ad certum ac determinatum usum, & quousque ea

opus habuerit, nulla mercede constituta vel accepta. Quare Liminius ocyus post mortem Tullii tenetur reddere vasa argentea: potest vero ad constitutum trimestre retinere peristromata. *Pontas.*

## PRIVILEGIUM.

1. Definatur *Privilegium*, quod sit *jus privatum indultum a Principe contra jus commune*. Hæc verba, *jus privatum*, denotant 1. causam privilegii debere esse justam; quia alias nullum accederet jus illi, in cujus favorem confertur. 2. per privilegium revera importari exceptionem a jure communi respectu hominis privati, in cujus commodum immediate cedit; id tamen non obstat, quo minus concessio privilegii vertat etiam ad bonum publicum, licet remote solum ac indirecte.

2. *Privilegium* vel est *personale*, quod extendi non potest ultra personam, cui concessum est juxta regulam juris: *Privilegium personale personam sequitur, & extinguitur cum persona*. Vel est *reale* & transiens ad hæredes illius, qui id obtinuit.

3. Quando privilegium datum est contra legem, absolute requiritur, ut contineat clausulam expresse derogantem legi. Bartolus dicit, ejusmodi clausulam privilegio semel appositam derogare omnibus legibus ac constitutionibus, quæ & in futurum conderentur, & privilegio adversarentur.

4. Omne privilegium est stricti juris, nec potest extendi ad casus in eo non contentos.

5. Princeps, qui concessit privilegium, aut successor ipsius potest illud restringere, limitare, & revocare pro libitu, maxime si vergat in detrimentum publicum. Privilegium tamen concessum integræ provincie aut civitati, ac diuturno usu jam confirmatum tam facile revocandum non est. Qui abutitur concessio sibi privilegio, dignus est, ut eo privetur.

6. Privilegio integræ communitati, societati vel corpori concessio membrum particulare renunciare non potest: non enim favorem privatorum, sed totius corporis respicit. Sic Clericus, Beneficiatus, studiosus academicus, aut Ecclesie servitio dicatus non potest renunciare privilegio Clericis, Beneficiatis, studentibus aut Ecclesie ministerio vacantibus concessio.

CASUS

CASUS I. *Æneas & Sylvanus juris studiosi inter se disputant, cujusnam proprie sit jus concedendi privilegia? contendit Æneas id competere Papæ; Sylvanus vero defendit, jus istud in solo residere Principe sæculari. Cuiam assentiendum?*

1. Est principium passim & ab omnibus receptum, quod nemo possit concedere privilegia, nisi qui jus habet ferendarum legum & in iisdem dispensandi. Nec Æneas ergo nec Sylvanus bene ratiocinantur. Regulariter loquendo Papa, cujus amplissima est potestas per totam Ecclesiam quoad spiritualia, non potest concedere privilegia nisi in rebus spiritualibus, & si quæ concedat in temporalibus, ea concessa intelliguntur pro statibus, in quibus supremum principatum exercet. Privilegia solum temporale spectantia a solis Principibus supremam auctoritatem exercentibus dari possunt. *Papa in spiritualibus*, inquit Angelus de Clavasio v. *Privilegium*, n. 2. *Imperator in temporalibus regulariter privilegia concedere potest*. Addit tamen, quod Princeps sæcularis possit etiam ecclesiis impertiri privilegia in rebus a ditione sua dependentibus, & bonum Ecclesie concernentibus. *Pontas.*

CASUS II. *Anaximenes Acolythus, quod plagis male multasset æditum parochialis ecclesie, ad tribunal judicis regii fuit evocatus. Ubi comparuit, fori hujus incompetentia objecta petiit remitti ad Officialem ob privilegium clericale, quo gaudere se existimabat. Recusat judex, causaque sibi vindicata Acolythum ad multam pecuniariam ædituo solvendam condemnat, simul & ad expensas. Teneturne sententiae huic submittere se Anaximenes?*

1. Juxta Tridentinum Sess. 23. de refor. c. 6. *Clericus tonsura initiatus aut etiam in minoribus Ordinibus constitutus non gaudet privilegio fori, nisi Beneficium ecclesiasticum habeat, aut clericalem habitum & tonsuram deferens, alicui ecclesie ex mandato Episcopi inserviat, vel in seminario Clericorum, aut in aliqua schola vel Universitate, de licentia Episcopi, quasi in via ad majores Ordines suscipiendos versetur*. Si ergo ex parte Anaximenes nulla prorsus ex enumeratis conditionibus reperitur, nullum profecto ipsi jus competit declinandi forum sæculare. Observandum hic 1. Qui, utitur Clericus, est conjugatus, non gaudet privilegio clericali; quia matrimonium contrahendo eidem renunciasse censetur. 2. Si Clericus in eum statum deveniat, quo gaudere possit & debeat privilegio clericatus, non est in ejus potestate eidem renunciare; cum non sit dominus privilegii. 3. Clericus munus aliquod judicium exercens; eo ipso privilegium clericale amittit, *Dist. Cas. Conf. Tom. III.* K &

& potestati sæculari subjectus esse censetur. 4. Clericus commercii & negotiationi se se immiscens nunquam potest allegare privilegium clericale, ut a jurisdictione sæculari sese eximat quoad rem commercialem. *Pontas.*

CASUS III. Sivranus obtinuit a Principe privilegium sub tenore verborum haud satis determinato & in varios sensus exponibili. Potestne uti hoc privilegio in sensu, quantum fieri potest, latissimo, quotiescumque id in commodum proprium vergit?

ꝑ. Decisio quæstionis hujus dependet a pluribus principiis ac regulis, ex quibus plurimæ difficultates hac in materia resolvi possunt. 1. Generaliter loquendo privilegia stricte sunt intelligenda & explicanda. Ratio est; quia privilegium est lex particularis, quæ juri communi derogat, illudque quasi vulnerat: *Privilegia sunt leges privatorum, quasi privatae leges*, ut loquitur S. Isidorus Can. *Privilegia*. 3. dist. 3. unde merito dici potest, *privilegium ex eo appellari, quod sit plaga legis*. 2. Quando privilegium non advertatur juri communi, sed solummodo consuetudini vel statuto particulari, potest favorabiliter exponi & sumi in sensu latiore. 3. Dum verba concessi privilegii sunt ambigua & æquivoca, solius concedentis est illud interpretari, fixumque sensum determinare. 4. Quando termini nec ambigui sunt nec obsecuti, eorumdem tenori exacte insistendum est. 5. In dubio semper sensus magis expendendus & attendendus est, quam cordex verborum. 6. Verba privilegii favorabiliter interpretanda sunt, lateque, quantum rationabiliter fieri potest, extendenda, nisi privilegium versetur circa rem odiosam. 7. Denique interpretatio in nullius vergere debet præjudicium, nec notabiliter lædere jus commune. Et ex his principiis de Sivrani privilegio judicium ferendum est. *Pontas.*

CASUS IV. Sosthenes cum a Principe speciale privilegium obtinuisset, post octiduum moritur. Transitne hoc privilegium ad hæredes & successores ipsius?

ꝑ. Si privilegium hoc est mere personale, non transit ad hæredes Sosthenis: si vero est reale, eo gaudere possunt hæredes. *Personale privilegium extinguitur cum persona*, ait author Glossæ in leg. *Ætatem*. 3. ff. Lib. 50. Tit. 15. De privilegio autem reali loquens dicit: *Hoc enim transit cum re*. v. g. Officialis exercitus ob bene præstita servitia obtinet a Principe privilegium exemptionis ab omni tributo, tutela aut aliis hujusmodi oneribus; eo mortuo liberi aut alii hæredes nullum habent jus hoc privilegium in se transferendi; quia sicut concessum soli personæ defuncti, & facta in in-

stru-

strumento privilegii expressio necessario infert exclusionem omnis alterius. Non autem ita est circa privilegia realia: hæc enim transeunt ad liberos illorum, quibus fuere concessa. Sic si Princeps ignobilem ac hominem plebeum evexit ad statum nobilitatis, hæc concessio etiam transit ad liberos, si quos habet; quamvis hæredes illius collaterales eandem sibi non possint attribuerè. Idem dicendum de privilegiis ecclesiasticis; quia concessa sunt clericatui, id est, toti Clericorum statui. *Pontas.*

CASUS V. Pollio creditor privilegiatus summæ 5000. florenorum Renato ad ædificandam domum commodatæ, & Rusticus creditor pariter privilegiatus æqualis summæ eidem ad perficiendum ædificium mutuo datæ, disputant inter se, quisnam alteri quoad solutionem præferendus sit; eo quod mutuum Pollionis integro trimestri antiquius sit mutuo Rustici. Post triennium ambo creditores ex decreto judicis immittuntur in domum Renati, præteritque Pollio solutionem integram sui debiti ante Rusticum, qui prævidens periculum amittendi penitus suam summam, pro obtinenda concurrentia cum Pollione huic litem intendat. Potestne sic agere salva justitia?

ꝑ. Pollioni concurrentiam ad æqualem solutionem abnunti justissime litem intentat Rusticus; *Privilegia non ex tempore æstimantur*, dicitur Leg. *Privilegia*. 32. ff. Lib. 4. 2. Tit. 5. *sed ex causa; Et si ejusdem tituli fuerint, concurrunt, licet diversitates temporis in his fuerint.* Licet ergo præfatæ Pollionis & Rustici summæ fuerint commodatæ trimestri temporis spatio una post alteram, commodatæ tamen fuerint ad eundem usum, in eundem finem & pro eadem domo construenda. Aliud dicendum foret de duabus dotibus in eodem fundo assignatis: prima quippe secundæ esset præferenda; *Præterquam in duabus dotibus ab eadem substantia debitis*, ait Glossa in cit. legem, *tunc enim prærogativa temporis servatur.* Verum quando causæ mutui sunt diversæ, præferenda est illa, quæ majori digna est consideratione, & ista tribuit jus præferentiae solutionis contra illum, qui ex causa minoris momenti pecuniam suam dedit mutuatam. *Pontas.*

CASUS VI. Cato vendidit domum Radulpho, solutione ad diem præfixum faciendâ. Brevi post creditores emptoris immisionem in hanc ipsam domum & omnia alia ipsius bona immobilia impetrarunt. Opponit se Cato præterens, sibi competere privilegium prælationis præ aliis creditoribus quoad solutionem pretii pro vendita a se domo. Jurene credi-

K 2

tore